



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Constitvtio Pro Ivdaeis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ea inter Archidiaconum Pa-  
tiffam de Cala-

dilectis filiis Decano & Capitulo Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per solitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter vestris iustis postulationibus inclinati, compositionem factam inter dilectum filium Mauricium Archidiaconum Ecclesiae vestrae & dilectas in Christo filias Emilianam Abbatissam & Conventum \* Scalensis Ecclesiae super procuratione ipsius Archidiaconi & quibusdam gravaminibus quæ ipsæ ab eo sibi & suæ illata Ecclesiae asserebant, sicut rationabiliter & sine pravitate facta est & ab utraque parte recepta, raram habemus, & auctoritate apostolica confirmantes, praesentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare presumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani Kalendis Septembbris, pontificatus nostri anno secundo.

## CONSTITUTIO PRO IUDÆIS.

Epiſt. 302.  
Vide cap. Sicut  
Iudæis. De Iu-  
dæis.

**L**icet perfidia Iudæorum sit multipliciter improbanda, quia tamen per eos fides nostra veraciter comprobatur, non sunt à fidelibus graviter opprimendi, dicente Propheta, *Ne occideris eos, ne quando obliviſcantur legis tuæ*, ac si diceretur apertius: *Ne deleveris omnino Iudæos, ne forte Christiani legis tuæ valeant obliuisci, quam ipsi non intelligentes, in libris suis intelligentibus representant.* Sicut ergo Iudæis non debet esse licentia in Synagogis suis, ultra quam permisum est lege, presumere, ita in his quæ sunt illis concessa, nullum debent præjudicium sustinere. Nos ergo, licet in sua magis velint duritatem perdurare quam vaticinia Prophetarum & legis arcana cognoscere atque ad Christianæ fidei notitiam pervenire, quia tamen nostræ postulant defensionis auxilium, ex Christianæ pietatis mansuetudine, prædecessorum nostrorum felicis memoria Calixti, Eugenij, Alexandri, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostræ clipeum indulgemus. Statuimus enim ut

nullus Christianus invitox vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat; sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christianus. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur qui ad Christianorum baptisma non spontaneus sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus sine potestatis terræ judicio personas eorum nequiter lardere vel res eorum violenter auferre presumat, aut bonas quas habent in ea, in qua habitant regione, habuerint, consuetudines immutare. Præterea in festivitatibus suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos ullatenus non perturbet, nec aliquis ab eis indebita servitia exigere vel extorquere contendat, nisi ea quæ ipsi præteritis facere temporibus consueverunt. Ad hæc, malorum hominum pravitati & avaritiae obviantes, decernimus ut nemo cœmiterium Iudæorum mutilare audeat vel minuere, sive obtentu pecunia corpora effodere jam humata. Si quis autem decreti hujus tenore cognito temere, quod absit, contraire tentaverit, nisi præsumptionem suam condigna satisfactione correxerit, excommunicationis ultione plectatur. Eos autem duntaxat hujus protectionis præsidio volumus communiri qui nihil machinari præsumperint in subversionem fidei Christianæ. Dat. Laterani per manum Raynaldi Acherontini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, XVII. Kal. Octobris, Indictione secunda, incarnationis dominica anno MCXCIX. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

ABBATI ET CONVENTVI  
Virziliacensi.

**I**nnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbatii & Conventui Virziliacensi salutem & apostolicam benedictionem. Licet de cuius munere venit ut sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter serviatur, multò eis majora retribuat quam valeant promereri; desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, ipsos ad bene servendum ei quasi quibusdam illecebribus muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus, invitamus. Cupientes igitur ut monasterium vestrum, ubi venerandum corpus beatæ Mariæ Magdalene innu-

Epiſt. 103.  
Concedit in-  
dulgentiis qua-  
draginta die-  
rum.